

Acaromachia, vulga certamen medicum de acaro, certis ac evidentibus rationibus, ex medicina practica desumptis, dirempta / [J. Ed. Feldmann].

Contributors

Feldmann, J. Ed.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Londini, 1841.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f3qjqmgy>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

John Cab
3
2
ACAROMACHIA,

VULGO

CERTAMEN MEDICUM DE ACARO, CERTIS AC
EVIDENTIBUS RATIONIBUS,

EX

MEDICINA PRACTICA DESUMPTIS,
DIREMPTA,

PER

J. ED. FELDMANN,

FACULTATIS MEDICÆ VINDOBONONENSIS: NEC NON ACADEMIÆ REGIÆ
NEAPOLITANÆ, ETC., ETC., MEMBRUM ORDIN, ETC.

LONDINI:

—
1841.

$$\begin{array}{r} 126 \\ \hline 8 \end{array}$$

7211. 1. 22

PRÆFATIO.

JAM fere ab anno 1839, meum ardens propositum erat, meas de *Psora* et *Acaro* acquisitas, et practicas observationes, erudito medico publico communicandi; verum, plures itinationes, quas familiarium negotiorum causa, sine ulteriore dila-
tione suscipere debui; memet ab incepto opere ad colophonem perducendo, et publicæ luci edendo penitus prohibuere.

Hoc nunc opusculum desideratæ executioni mandare volens, universos perdoctos ac pereruditos artis medicæ doctores humillime requiro: quatenus meum simplicem scribendi stylum, benigne excusare, nec criticis calculis notare dignarentur.

Et sane, propositum thema, nec per alios describendum aut elaborandum esse putavi: neque ipse tantum temporis ac otii nancisci potui, illud fusius ornate atque floride elaborandi: taliterque omnem ferme conatum, eo impendi, materiam et contextum ipsius rei potius, quam vero elegantiam sermonis consecrandi.

AUCTOR.

Londini, mense Septembris.

MDCCCXLI.

SUCCINCTA PSORÆ HISTORIA.

CUTIS externæ exanthemata sub nomine *Psoræ* *scabiei*, ac (juxta Biblia sacra :) etiam sub nomini *lepræ* comprehensa : jam protoparentibus nostris paulo post conditionem mundi nota ac explorata esse videntur ; utpote quibus, quam maxime, impuritatis, sive etiam alterius cujuspiam rei causa, magnam persæpe stragem inflixisse consueverunt.

Atque adeo, si historicis traditionibus, a Phœniciis, Ægyptiis, ac Iraëlitis profectis, nobisque communicatis, et certum nuntium de scabie ac

lepra præferentibus, fidem habere voluerimus : nobis abs dubio sufficienter innotescet, eosdemque populos hac extrinseca cutanea lue generaliter ac specialiter laborasse. Mosenque populi Judaici legiferum et antesignanum eo sollicitudinis ac necessitatis perductum fuisse, quod specialem locum vulgo asylum erigendum curaverit, et sacerdotibus singulare mandatum dederit, quo leprosos mundare, atque ad pristinum sanitatis statum restituere, obligabantur.

Quo jam mundationis tempore, omnis cohabitationis et communicationis nexus cum sanis personis, strictissime prohibebatur : taliterque progressus hujus mali diffundendi ulteriusque propagandi, omnibus modis impediabatur.

Ex hac succincta et breviuscula rerum expositione facili utique negotio concluditur : populos orientales, infirmitatis hujus scabiosæ ac contagiosæ de qua hic agitur, proprietates et qualitates

periculosas quam optime novisse, et (quod vel omnis pusio bene noscit :) Ægyptiis psoram tanquam tertiam a Deo ordinatam plagam, quæ prodigio ac miraculo assimilabatur, immissam fuisse.

Utrum causa hujus cutaneæ infirmitatis, in impuritate primarum familiarum (originis) quærenda, utrum vero calidis orientalium regionibus adscribenda sit; utrum denique certis temporibus tanquam morbus epidemicus apparuerit, et dirum in modum sævierit: nec affirmare nec decidere presumpserim: totumque hoc negotium historicis et rerum naturalium indagatoribus commitendum, atque ab iisdem dirimendum esse jure optimo crediderim.

Sic etiam: utrum mediantibus cruciatarum expeditionum phalangibus, aut aliis peregrinationibus, morbus iste contagiosus in Europam irrepserit, aut denique hic perinde ac ibi

secundum supra mentionatam causam (quam
 impuritatem ac nimium calorem esse censeo :)
 sponte sua progenitus extiterit, rem prorsus irre-
 solutam, et litem adhuc sub iudice esse, putant.

INITIUM.

ANTEQUAM meam de eruptione cutanea, vulgo de Scabie aut psora et de ejus insecto, sic dicto acaro adquisitam experientiam, in medium protulero; ante omnia necessarium esse putavi, diversas opiniones circa hoc objectum versantes, et a diversis viris medicis profectas sententias, paucis attingere: materiamque hanc, fortassis minus placidam, quare jam frequentius, ab aliis tractata fuerat, non secus, ac coctam jam sæpius crambem, iterum iterumque recoquere.

Loquendum itaque mihi est:

I. De existentia acari, et de variis opinionibus, quas medici de eo concepere.

II. Manifeste demonstrabo: acarum non esse causam scabiei, uti a quibusdam perperam autumatur.

III. Brevem apparatusum et remedia adnexui, pro commodo fortassis plurium usu. Et apparatusum quidem, ut *suppurationis pediculi* de humano corpore apprime educerentur: remedia, ut

hæc ipsa scabiosa lues, cum magna facilitate curaretur.

I. Insectum, quod paucos ante annos in pustulis scabiosis humani corporis denuè inventum fuit: *Acarì* nomine *αχapos*, insignitum est.

Supponitur: unumquodque ac singulum speciei animalculum, propriam in animali corpore pustulam, tanquam assignatam sibi habitationem possidere: atque spectata magnitudine ac forma, quodlibet individuum ab altero discriminari.

Quod me attinet, numquam id genus insectum, in quadrupedibus, aut aliis animalibus reperiisse profiteor: imo adhibita strictissima indagine nec in canibus, nec in felibus rancida atque flaccida scabie tumentibus, me quidquam simile detexisse: atque adeo, me hic non de alia quam de humana scabie, et de humano acaro, verba facturum esse.

Istud insectum, jam inde a sua origine, et detectione, seu potius a sua apparitione, multis eruditis ac scientificis disputationibus causam

præbuit : multosque in Europa celeberrimos medicos, physiologos, dermatologos ac rerum naturalium indagatores, plusquam quadrifariam divisit, eosdemque in varias opiniones et conclusiones dispersit. Qua ex medicorum doctorum divisione ac dissentione, multæ profecto invidiosæ et ne dicam hostiles contentiones, multaque paradoxa judicia subsequabantur.

Nam, quidam medicorum, totum negotium de acaro ad res adiaphoras, vulgo adinatas, ridiculique plenas detorquebant, insanumque, ac mente captum esse appellebant, quicumque in corporis humani partibus, insectum, quod nomine acari designatum fuerat, se vidisse ac observasse, asserit. Alii iterum, qui jam *a priori*, ac omnino sine solida ac exacta rei investigatione et indagatione, de existentia hujus animalculi se convictos esse graviter affirmabant : per minus rectas, ac minus exactas de eodem conceptiones, bonæ causæ medicæ, magis abfuere, quam profuere. Imo, quod adhuc magis simplicem rei evidentiam impedivit, est : quod, alii studio partium abrepti, hujus insecti existentiam, alii non existentiam demonstrare publicis scriptis conati fuerint ; taliterque rem sole meridiano clariorem, multis tenebris ac densis nebulis obvolutam, posteritati tra-

diderint. Fortassis et quod verosimillimum est : multos artis medicæ professores invidia excitatos ac nimio zelo abreptos, fastuque intemperato agitatos fuisse, atque sic posthabita conscientiae naturali rectitudine ac veritate : minus recta minusque humana judicia formasse ; talique agendi ratione, confratribus suis, talentorum fortassis dono, aut scientia et experientia plusculum, pollentibus gloriam et honorem, famamque bonam, auro et argento pluris aestimandam, abnegasse, obfuscasse.

Et sane, cui, quæso, rerum experto (proh dolor !) non satis constat ; si in nulla, tunc certe in arte medica atque inter Hippocratis et Galeni asseclas, dari ac reperiri obstinatissimos simulatque protervissimos antagonistas ? qui assecuti semel doctoris gradum, sub prætextu *magnæ occupationis*, ne librum quidem amplius conspiciunt, empyricosque presso pede sequuntur, qui remedia præscribunt, quæ eisdem clientum phantasia, aut vetularum experientia dictaverat. Jam autem ferme omnibus notum ac exploratum est : hujus generis empyricos medicos, rerum innovandarum, maximos simulque infensissimos hostes esse : qui quasi uno agmine facto, voce tergemina rauca, hinc illincve clamitant, incessanterque

auras verberant, et mundum perturbant, dicentes: *Absit innovatio!* auferatur nova detectio! Crux præparetur Prometheo: etc. etc. similia.

Cum interim cordatus ac humiliter de se sentiens medicus, postposito omnis ostentationis fastu, invidiæ aut zeli rancore penitus suppresso: quamlibet novam inventionem, aut recenter productam detectionem, cum magna animi voluptate et intimo gaudio excipit, eandem exacte ac solide examinat, cum aliis similibus rebus combinat, aliis amicis fideliter communicat, atque tandiu judicio proprio suspensus hæret et pendet: donec universalis vox pro hac vel illa parte accesserat, omnique prorsus dubium de medio sustulerit. Sic etiam bona fide concedendum est: non exiguum numerum medicorum reperiri, quibus quamvis optimis animi ac ingenii qualitatibus præditis, exertisque omnibus diligentiae conatibus, nec locus nec opportunitas aut occasio dabatur, acarum in tota illorum vita videndi: neque modus et ars concedebatur, ejusdem reliquasque attinentias, examinandi.

Hoc autem vel maxime in vita humana et in medica disciplina ægreferendum est, quod quotusquisque empyricus medicus qui vix extremis tantummodo labellis fontes medicinæ sacros attigerat: frequenter tamen veluti celeberrimus Græcorum

aut Romanorum athleta, mediam in arenam pro-
siliat, solidos ac in arte optime versatos doctores,
et sic dictos artium parentes, diro ac barbaro
modo aggrediatur: sicque, vel ingeniosissimum,
ac expertissimum Æsculapium, mordaci dente
corrodat, convitiis ac obtrectionibus afficiat, et
persecutiones quandoque flagrantissimas, contra
eum excitet promoveatque.

Hac diuturna ac infelici medicorum inter se
litigantium pugna efficitur: quod et propagatio
rarissimæ detectionis, et magnus influxus, quam
detectio talis in alias res habere potuisset, doc-
toresque in pluribus infirmitatibus analogam re-
lationem habentibus juvare debuisset, considera-
biliter præpedita ac graviter diminuta sint.

Optandum sane, atque toto corde precandum
esset: quatenus omnes artis medicæ professores,
cujuscunque generis ac gradus, collatis placide ac
tranquilla inter se consiliis, viribus ac opibus
unitis, et dextram dextræ jungentes, se mutuo
amore et labore juvarent, secretaque naturæ non
æmula aut malitiosa mente scrutarentur; simul-
que detecta nova rerum phænomena, aut mor-
borum diversa symptomata, aliis fraterna cum
caritate, ac sine ulla ostentatione communicare,
communicataque lubenti animo acceptare et in-
vestigare vellent: hacque agendi ratione, cui

honorem, honorem, cui tributum, tributum, et cui vectigat, vectigat, sine omni offendiculo, præstarent atque redderent. Tali modalitate, et desideranda procedendi ratione adhuc etiam fieret: ut ingentem laborem, vix Herculeis humeris elevandum atque supportandum, felicius faciliusque perficerent; morborumque symptomata et novas eorundem diagnoses deducerent, quorum fortassis adhuc die hesterna, causas ignorabant; aut quibus curandis, male respondentia media adhibebant, etc. etc.

Et sequens, nunc memorata et præmissa, nos convinct, quod certum, atque multis medicis notum insectum in cutis humani pustulis, tempore puris florentis reperiri possit, atque actu et de facto reperiat: adeo certum ac indubitatum est, quemadmodum credimus splendente sole, lumen, et durante nocte, tenebras esse.* Verum tamen, adest ingens medicorum numerus qui contrarium opinantur. Et istos puto esse homines, qui sicuti jam superius insinuavi, aut occasionem non habuerunt, aut vero incapaces sunt in rem inquirere ac penetrare, seque de veritate rei convincere: aut vero ex malitia et arrogantia

* Jam seculo millèsimo sexentèsimo insectum hoc naturæ scrutatoribus Italiæ ac aliis videbatur.

quadam, nullum non movent lapidem, ut scientificis progressibus, obstacula objiciant, bonamque rem impedian.

1°. *Quod formam externam acari attinet, varii varia conjiciunt.* Certus auctor cum notabili sociorum suorum caterva; acarum articulata *apteram* esse dicit; quamvis juxta opinionem aliorum, acarus ad genus *aranearum*, et non ad genus *insectorum* pertinere asseratur. Sunt etiam qui acari figuram, motum et gressum, figuræ motui ac gressui *testitudineo* compararunt, testudinique per omnia similem esse dicunt; cum hoc unico discrimine adjecto: quod nimirum testudo quatuor, acarus vero octo pedibus incedat, et pluribus antennis, ac oblongis pilis provisos sit, et certe veritate non caret. Illi, qui insectum de quo loquimur, cum casei aut faris acaro comparare nituntur: habent hanc differentiam contra se, quod acarus faris et casei considerabiliter major sit, libero oculo videri possit, formam oblongam, muscæ simillimam, in medio corporis sui præ-

cisam et quasi dissectam habeat: cum interim acarus humanus, rotundus sit, formamque cimicis parietariæ possideat, etc. etc.

Porro pergunt alii: acarus de suo loco productus candidus ac pellucidus est: dum e contra insectum de fare et caseo formatum, obscurum sit et luridum. Adjiciendum denique: quod pedes insectorum faris et casei, muscarum ad instar sint dispositi, et plane prout ibidem locati: cum interim pedes acari de marginibus sui corporis promineant, et anteriores quatuor anterieus dirigantur, posteriores quatuor vero in plane oppositam partem flectantur. Quidam satis obtorta fronte argutari videntur, quibus tamen et ego accedo, quod omnia cum acaro comparata insecta, quamprimum liquidum attigerint illico perire cogantur: acaro interim etiam in aqua tempore sat longo vivere potente. Non desunt: denique qui faris et casei acaros, ad classem "*larvacearum* relegant: acaro humano locum in genere *aranearum* assignantes, etc. etc.

2^o. Alia controversia, quæ litigantes doctorum partes non parum distrahit, sequenti questioni januam aperuit: *Utrum nimirum pustula prius, an vero acarus, (conditio sine qua non) item: an acarus ante scabiem an vero post illam exstiterit?* Unde deinde iterum multifariæ multique modæ absurditates pullulavere.

Pars una fingit: acarum esse Vampyrion simile, qui juxta arbitrium ac beneplacitum suum, sibi hominem exquirat, se se corpori ejus placide insinuat, ac sensim sine sensu in cutem ejus irrepit, ibidemque sanguinem sugit, atque pustulas format, et inflammationem, scabiemque progenerat! etc. etc.

Membra hujus sectæ adhuc ulterius progrediuntur, et fideliter atque cum absoluta quadam certitudine sibi notum exploratumque esse agunt: acarum de una in aliam pustulam transire posse, atque vicissitudinum omnino mirabilium, metempsychositarum sine ulla alteratione capacem esse. Qui non observato ordine, cursu, progressu, ac itinerationis regula, in dextram vel sinistram, sursum vel deorsum permeare* totamque suam evolutionem ac revolutionem intra corium ac epi-

* In formæ unius ziczac dicti.

dermim facillime peragere posse. Quod est plane terrificum ! ac non minus mirificum !

De cætero sapientibus stupendum atque mirandum non est. Nam quod aliqui medici chimæris præoccupati, vetularum piarum et sanctarum narratiunculis delectati, crepundiisque Omphalicis illecti, in paradoxas ac minus rectas opiniones prolapsi sint : rei hujusce causas jam superius, ac uberius attingimus ; quia nimirum non amor nec candor, non sinceritas nec dexteritas : verum livor et rancor, zelus et fastus, aliæque concitatae passionες ex medicis plerumque loquebantur : taliterque rei vel clarissimæ ac evidentissimæ, tenebræ offundebantur.

Has longinquas et fatigantes medicorum inter se concertantium hypotheses, eo fine adducendas esse putavi : ut veluti quidam succinctus prospectus illarum paradoxarum ac excentricarum opinionum præ oculis habeatur, quas nonnulli de acaro prorsus perperam concepere.

Juxta illam quam mihi in labore medico adquisivi experientiam : habui occasionem ac oportunitatem, idque pluribus vicibus : acarum in pustulis humani corporis inveniendi, certa que ac determinata judicia de illo, quæ hic inferius delineo, formandi.

Sic itaque jam :

II^o. Externa illa cutis eruptio, quam communiter scabiem nuncupamus, et quæ sese cum rubore, lenique inflammatione, ac pustularum formatione in extrinseca corporis humani parte insinuare solet: *generaliter ac specialiter* in classe hominum infima, laborante, ac rustica, sedem suam fixisse videtur.* In hac quippe hominum classe, non raro individua reperiuntur, quibus sive necessitatis, sive *negligentiæ causa*, sordes in superficie corporis, *maxime vero inter digitos et aliis partibus*, adeo tenaciter adhæserunt, atque

* Dixi generaliter ac specialiter in classe hominum infima, scabiem sedem fixisse, quod tamen non ita intelligendum est, ut præterea nullibi reperiri possit. Nam dantur frequentiores casus, quod etiam altioris conditionis homines hac lue infecti reperiuntur. Illud tamen communicationi cum scabiosis individuis potius, quam impuritati eorundem adscribendum est. Idem ferme dicendum de iis quibus hoc malum adhæsit tempore belli, vel captivitatis, omnibus ferme purificationis mediis destitutis.

principales poros infecerunt et obturaverunt ; ut successu temporis, et calore necessario pruritus ac punctio oriri, et consequenter etiam intima sensuum atque organorum irritatio subsequi debeat.

Huic jam extrinsecæ sordidæ et callosæ corporis dispositioni accedit et illud, quod orto pruritu, etiam frictus unguium admoveantur, unde naturaliter reactio sequitur, quæ se in nostris corporis partibus per ruborem in cute, inflammationem, ac mox etiam per pustulas insinuat ; quam pustularum inflammationem, communi ac usitato verbo : *Psoram vel scabiem* vocare consuevimus. Qua de re suo tempore in mea pathologia fusius tractabo.

Pruritus itaque in cute ac in membris humanis necessario considerari debet tamquam *symptoma fundamentale* scabiei. Nam ille cutaneam illam eruptionem, ab initio usque in finem fideliter comitatur. Quod etiam celeberrimi medici constanter observarunt et notarunt ; et vel ideo pruritus hic, non ut secundarium, nec ut accidentale ; sed omnino *ut primum symptoma* considerandus est. Absurdum itaque, et omni prorsus ratione destitutum esset opinari, atque cum pleroque philosophastro concludere : acarum nimirum cutaneæ eruptionis et consequenter etiam

scabiei, quam ille, per suum morsum, punctum, frictumque provocasset, solam *ac unicam causam esse*.

Posito hoc, et non concesso, jam imaginandum esset: quod illud exiguum animalculum alis præditum sit, quibus tanquam remigio in aëre uti debeat, et (quod jam superius insinuavimus :) ab uno individuo ad aliud peregrinationes, transmigrationes (antiquis metempsychosis) instituere possit ac valeat. Cum tamen uti inferius clare demonstrabitur, animalculum hoc, ex suo elemento semel, etiam cautissime extractum, et quam sollicitissime præservatum, vix in statu est, aliquas integras horas in recenti ac libera aura vivendi.

“ Sane ita ! reponunt mihi adversarii ; sed numquid non habemus evidentissima documenta, quod insectum illud etiam ibi reperiri poterit, ubi unica solummodo corporis pustula (papilla scabiosa :) formata exstiterit ? ” Et nos sæpe vidimus paucos post dies, eruptione cutis (præsente utique acaro) mirabiliter auctam atque dilatatam fuisse, etc., etc. Sint hæc ita prima et ultima—sed ego pacisci possum : a principio formationis pustularum (papillarum purulentarum) nullo modo ac nulla ratione acarum inveniendum esse : sed tantummodo tempore *florente suppurationis*, hoc est,

tempore maturescentis puris ; dum nimirum sanguis,* in poris corporis humani, quodammodo stagnasse videtur, in pustulas convehitur, ibique corrumpitur, et per naturalem consequentiam pudredo oritur, atque ex hoc sanguinis dispositione hetherogenea, insectum illud, quod acarum nominatur, progenitum videmus.

Ponamus autem hunc immemorabilem casum : quod videlicet animalculum hoc vivum ab uno homine in alium transmeare posset : id me certe latet, nec usquam expertus sum, insectum illud somnambulonem esse, quamquam illud in cætero optime nosco : omnibus mediis ac instrumentis habilibus prorsus destitutum esse, *quibus aperturam aut fissuram in cute corporis humani facere posset*,—pullici igitur, aut culici potius : non vero acaro id genus actiones adscribendæ sunt.

Considerata ac trutinata hac momentosa animadversione, jam per se consequitur, istas acutas ac argutas hypotheses : acarum videlicet per morsum suum ; cutem corporis humani sauciasse vel stigmatisasse, et per hanc stigmatisationem, sanguinem infecisse, virulentoque liquore imprægnasse ac inebriasse : prorsus infundatas et arbitrarías, proindeque rejiciendas esse.

* In quo prædispositionem individualement pro acaro adesse non nego.

Ab anno 1836, habui plus minus occasionem ac opportunitatem acarum in morbis psoricis reperiendi, et ejus proprietates exactius profundiusque examinandi. In Italia frequentius, quam in Germania, sed signanter in Gallia, pluribus scabie languentibus manum medicam admovendi; atque anno 1839, postquam in *digito indice** pure utique maturo ac exuberante repletam scidissem instrumentoque idoneo aperuissem, atque pus illud de pustula exceptum in vase vitreo aqua repleto diligentius solidiusque examinasset: Ecce! *plures vivos acaros innatare detexi.*

Individuum, quod vulnere in digito affectum erat, scabie prorsus carebat, atque serio affirmabat: "*Se nusquam in sua vita scabie laborasse.*" Hoc mihi explicare non potui,—eo affortiori, quod eandem personam, adhuc longiori tempore sub mea inspectione atque curatione habuerim: atque tamen nulla plane scabiei symptomata observaverim.

* Paniritio adfecto.

Ne igitur diutius in dubio fluctuarem, omnem conatum et operam eo impendi, ut personam suppuratione cujuscunque generis laborantem, præmanibus habere possem, de cujus pustularum aut vesicularum suppuratione ipsoque pure, examen quam diligentissimum institui, et *ecce siquelas!*

1°. *Quodlibet individuum ad psoram vel scabiem dispositum, etiam in quodlibet cutis pure repleto tuberculo (vulgo pustula) secundum magnitudinis vel parvitatæ proportionem, majorem vel minorem acarorum numerum complectitur. Qui (acari) spectata puris maturitate, adhuc omnino multiplicare: incohante autem exsiccatione ejusdem puris: necessario ac sine omni dubio, perire bebent.*

2°. *Illud autem vel maxime notandum atque memorandum esse, expeto: quod ante secundum vel tertium diem suppurationis, acarus nunquam in corpore humano reperiri poterit: sed tantummodo (conditio sine qua non) suppuratione perfecta atque pure in corpore affecto, florente.*

3°. *Durante sic ac maturescente et ad perfectionem vergente pure: durat et maturescit, auge-turque etiam in individuo scabie affecto: pruritus, titilatio, vellicatio, vehemensque ardor, et intima*

sensuum atque organorum vitalium irritatio. Ratio hujus rei evidentissima facile utique reddi potest: quia nimirum, in hoc corporis statu, insecta intra cutem existentia, ibidemque motum continuum facientia, et fortassis etiam lenem morsum (potius succionem) infigentia; patientibus psora decumbentibus, intimas alioquin sensationes et ne dicam ardoris dolores sat vehementes causare videntur, quod utique facili modo conjiciendum atque concipiendum est.

4^o. *Vix, aut ne vix quidem unica reperiri poterit pustula, in corpore scabie affecto, carens acaro, suppuratione (ut jam sæpius dictum) florente. Nec panaritii protuberationes, nec abscessus, (et fortassis hinc inde nec variolæ naturalis) excipiuntur.*

Aquosæ autem pustulæ aut cutis eruptiones, uti; pemphigus, œdema, hydrops, etc., etc.: faciunt semper discrimen. In hydropicis quippe nullum unquam acarum me invenisse profiteor; cujus causam, exuberans serosum liquidum esse puto, quod tamen naturæ scrutatoribus tempore accepto, facilius accommodius illustrare atque decidere haud difficile erit. Nam ut acari in humano corpore procreari possent, abs dubio singularis peculiarisque naturæ pus requirendum esse censeo.

III. Hæc autem fideliter in medium adducta et experientia fundata, virisque medicis illustribus fortassis per bene nota, jam nullum relinquere possunt dubitandi locum ; eo afffortiori, si experimenta per sequentem simplicem apparatus præ oculis habeantur.

Ante omnia igitur necesse est :

A. Ut scabie infecta, panaritio, aut abscessu laborans persona, pro evidenti ac manifesto experimento ac documento, adhibeatur. In tali patiente, pustulæ in superficie corporis formatæ, abs dubio tempore florecentis, seu durante supuratione, etiam natura ipsius puris cognoscetur. Quod pus (uti omnibus notum essedebet) si non in viridem, sed in lucidum flavum colorem vergerit, et fortem ardorem atque pruritum in corpore excitaverit ; tunc sine omni dubio præsentiam acarorum indigitabit.

B. Poculum forma conicum et rotundum, cujus peripheria latior superius, et cuspidis inferius directa sit, pro subsidio ad acaros ex corpore humano excipiendos, adhiberi commode poterit. Pocu-

lum autem hoc simile ferme esse debet poculo *vino campancio* hauriendo usitatum; cum illo tamen discrimine, ne cuspis ejus concava neque convexa sit, planitiemque circiter quatuor vel sex linearum habeat, oportet. Hoc poculum usque ad dimidiam partem circiter impleatur aqua distillata.

C. Tertium huic inquisitioni ac indagationi necessarium requisitum, quo ego communiter utor, est, frustillum chartæ, vulgo papyri, dictæ, quæ esse possit cujuscunque coloris, saltem non albi. Quod me attinet: utor folio lusorio, (de cartifolio sumto) trifariam scisso. Et ecce jam universum apparatus, quo sequenti ratione ac modalitate utor.

Si pustula in digito sit aperienda ac investiganda: hæc mediante forfice, aut alio quopiam idoneo instrumento aperiatur, oportet: atque sic deinde pus ex apertura defluens, totum quantum, sine unius guttulæ deperditione, ac sine mora vitro, vulgo poculo ad hunc usum prævie jam destinato, excipiendum est. Dixi: sine unius guttæ deperditione, hoc est, ne quid piam ex pure in pustula reperto, deperdatur; quin mo, etiam illud ipsum instrumentum, quo incisio facta fuit, in menstruo eodem abluatur.

Hoc opere peracto, vas tollendum atque luci

diurnæ exponendum est; quod utique illico probam dabit, num acari in eo contineantur, quorum præsentia, etiam oculo non armato detegi atque videri poterit, (ex legibus catopricis jam latius notum) hinc utique facile est explicatu.

Frustillum chartæ duriusculæ eo fine adhibeo, ut pus margine ejus exceptum, poculo deferatur; si ipsum membrum scabie adfectum aut alio genere pustularum tumescens, commode aquæ intingi non posset, et per consequens neque pus cum acaris de pustulis (per hanc ipsam membri ablutionem plane impeditam) extricare atque educere in promptitudine possemus. Papyrus hæc, qua pus et acari excipiebantur, in vitro pariter abluatur, oportet; aut si nec illud commode fieri posset, totum in aquam conjiciatur, et vitrum illico luci naturali obvertatur, taliterque, uti jam dictum, de præsentia acarorum certissime convincemur.

Supra fatum, ac breviter delineatum meum simplicem inquisitionis apparatus, nonnulli meorum amicorum per hoc emendatum habere vo-

luerunt, quod aquæ distillatæ aliquot guttas spiritus vini, aut vero aliquot stillas dulcis lactis affundendas putaverint; rationem reddentes, quod per primum liquidum, animalculum illud facilius aquæ innatare posset: per secundum autem id est per lac, diutius vivere queat, etc., etc.

Novem institutis experimentis: semel tantummodo mihi contigit; acaros, post elapsam trium horarum spatium, adhuc vixisse dum nimirum aliquantulum aquæ tepidæ poculo affidissem (in aura libera vero nec tamdiu.)

De cætero, solatio non modico mihi esset, si quispiam rerum naturalium studiosus, novum ac magis accommodatum apparatus reproduceret adornaretque, quo non solummodo pus ex pustulis commodius excipi: sed etiam menstruum aptius, in quo insecti hujus vita longiori tempore conservari posset, inveniretur. Quod utique sagaci doctorum ingenio, haud difficile esse puto.

Postquam quilibet de rei veritate convictus fuerit, atque eo vel maximam attentionem direx-

erit : insectum hoc, in humano corpore nunquam alio tempore reperiri, nisi florente suppuratione alicujus abscessus aut pustulæ ; jam mihi facili negotio ac jure optimo, et fundamento irrefragabili concludere licebit : animalculum illud non amplius acarum, sed SUPPURATIONIS PEDICULUM nominare. Et hoc quidem ex sequentibus rationibus atque motivis :

1^o. Forma atque structura *pediculi suppurationis*, si cum acaro ex caseo aut fare prognato comparatus fuerit, exhibebit enorme discrimen, quod jam abunde superius demonstratum erat, nec indiget hic longiori repetitione.

2^o. Si pediculus suppurationis per microscopium consideratur, singillatim vel cum communi, maxime vero in crinibus partium genitalium pediculo comparetur ; magnam profecto similitudinem nobis repræsentabit ; cum hac tamen exceptione, quod caput *suppurationis pediculi*, proportionem spectata, minus ; et pilis in marginibus sui corporis ac in pedibus quantitate majore provisos sit. Quæ differentia tamen facile conciliabitur, si perpenderit, quod hoc insectum in fluido existentiam acceperit, ibidemque vegetetur : dum etiam animalcula infusoria, maxima ex parte crinata vulgo pilosa sint.

Sic omnino in mea præsentia exclamabant Aristarchi : sed qui fieri possit, et unde proveniat, quod dum pediculus suppurationis, pediculo vulgari simillimus sit, ac recta ita nominari deberet : cum tamen non longius quam vix aliquot horas vivere queat ?

Ista objectio, vel illo simplici asserto evincitur : quod *pediculus suppurationis* de quo hic specialiter sermo est, non in libera aura, vulgo nostra atmosphæra originem suam sumpserit ; proindeque in eadem vitam diu conservare nequeat, etc.

Super est proinde, ut nobis physiologi et rerum naturalium scrutatores, adhuc illas quæstiones resolvere atque asserere velint : cur in hydropicis ac chloroticis fere nulli suppurationis pediculi inveniantur ?—Sunt ne id genus infirmi incapaces congruam et competentem suppurationis materiam reproducendi ? aut ea dispositione privati, pus pediculis suppurationis nutriendis in corpore progignendis ?

Donec præsens pensum ad partem seposuero : adhuc animus est, quæpiam *cursim* ac *raptim* de recta et acurata scabiei curatione adnectendi.

Omnis filius Æsculapii, qui illustri nomine medici gloriatur, melius profecto et exactius videtur esse versatus in brevi Therapia contra scabiem adhibenda: quam ut necessarium esset, eandem hic multis ambagibus describere.

Sulphur, quod jam ferme ante semimyriadem notum, et contra psoram vulgo scabiem adhibitum fuerat: videtur iterum moderno ævo caput extollere, atque etiam apud illos, qui de existentia acari haud dubitant, magnum pretium, magnamque æstimationem acquirere.

Acutores, qui in psora acarum adesse credunt, autumant pariter, se mediante sulphure eundem acarum suffocare posse: atque illo suffocato et extincto, etiam ipsam scabiem facili opera curaturos. Ecce aliquid singulare, et quasi aliquid speciale! quod tamen ex tenebricosis ac barbaricis temporibus desumptum adoptatumque est. Dolendum sane, quod jam ab antiquissimis temporibus profectas, et uti dixi barbaricas consuetudines ac mores, et ne dicam stupidas aniles inventiones, iterum in scientificam medicinam adsciscere et adoptare conamur.

Quænam causa hujus? Anne: "quia pulvis sumus, et in pulverem revertemur?" Vah! periodicum ac retrogradum in barathrum ignorantiae relapsum! quo certe explicando impar sum.

Sulphur, inquam, cujus balsamicus odoratus in pluribus nosocomiis atque clinicis institutionibus, tanquam aliquod dulce aroma in odorem suavitatis Junoni aut Veneri cremari solitum, nuperri-me tantummodo fumigare desierat: jam iterum modo, tanquam unicum efficiacissimum, variante cum chlore calcis, contra scabiem antidotum nobis commendatur. Sulphur nomino frequenter-que repeto, quod vel ipsis empyricis ac luridis agyrtis inde ab Hippocratis temporibus *sacri palladii* instar serviverat: essetne iterum ab illustribus viris doctoribus resummendum, et curando scabiei morbo applicandum? haud credere præsumpserim. Nam et ipse pater Hippocrates, non ex propria experientia illud commendarat, sed obtentis aliunde relationibus, quod nimirum exteræ nationes et antiquissimi populi orientales, in morbis psoricis curandis, balneis sulphure impregnatis, uti consueverint, nullumque aliud contra hoc malum remedium cognoverint. Mori potius ac consuetudini sese accommodans, remedium adoptavit et promovit, quod præsentî ætate non solum rudissimis empyricis ac stolidis circulatoribus favorisat: sed etiam aliquibus medicæ artis professoribus, vel optima servitia præstare videtur.

Hinc tot videmus ac observamus sacri venerandi sulphuris monumenta, quæ antiquitas in fontibus liquore sulphureo manantibus extruxerat, modo tamen (gratia deo ac genio nostro) ruinis aut solo æquata.

Interea, meum hic non est, quod jam superius insinuavi, modalitates præscribere, aut medicos erudire, qualiter psora curanda esset; nihilominus tamen sapientes ac benevoli collegæ placido et æquo, ut spero, animo, suscipient, quæ de methodo mea usitata istius breviter attigero.

Simplicia balnea, ex sapone præparata, ablutionesque corporis scabie infecti, cum sic dicto *nigro sapone* frequentiores, optimum sane curationis effectum in scabie producere videntur.*

Infirmis hac ipsa lue affectis, qualibet die *tertia vel quarta* solventia leniora remedia, ex quodam specifico sale suppeditata; abstinencia item ab acidis et immodice salitis, quin etiam ipsa abstinencia a potatione bacchi, mirifica servitia præstare solent; imo *Decocta ex Rad. Graminis* aut

* Menstruum ex nigro sapone productum, etiam acaristis sufficiens remedium suppeditare poterit, pro acaro suffocando atque destruendo. Quo prævie juxta mentem illorum exterminato: jam facile utique erit, etiam reliquas cutis ruinas reparare ac consolidare.

Dulcamaræ, largiore quantitate sumenda, præscribo. Leniter aperientia remedia in psora, eum in finem adhibere possunt, ut sanguis per ea purgaretur, duræque et crassæ humorum agglomerationes aut intestinorum obserrationes, resolverentur. Et sane nobis etiam frequenter cum ægrotis agendum est, quibus aliquod hæreditarium impuritatis malum, uti: scrophuli, rachitis, etc., etc., tenaciter adhæserat.

Balnea (repeto adhuc semel) sunt omnibus cæteris remediis superiora, atque iudicio meo, præstantissimum contra scabiem specificum, quæ etiam in Nosocomiis *Vindo-bonæ*, a celeberrimo Domino Consiliario aulico a Raimann, jam ante 15 annos optimo cum effectu applicare et ordonnare vidi. Qua de re, ac veritate, quemlibet practicum, et empyricum etiam, mecum conveniendum esse puto. Sed cum hac sola ac unica cautione, ne nimis calida aut fervida psoricis ordinentur: quandoquidem nimia aquæ effervescentia, sanguinis etiam circulationem augere, naturali ratione soleat. Neque antiquis fortassis mos erat, infirmos morbo scabioso laborantes, fervidis balneis excipiendi: eademque potius in sic dictis frigidis cutis eruptionibus, tanquam holagogica, seu sudorifera remedia, quibus ægroti potenter ad sudorem stimularentur, adhibendi. Hujus ge-

neris balneis adhuc hodiedum utuntur Russi septentrionales atque Poloni, eo insuper observato, quod suis ablutionibus holagogicis, adhuc etiam virgarum dorso infligendarum ictus adsociare dignentur.

Consuetudo ac usus calidorum illorum balneorum, invenit multos imitatores, etiam in aliis Europæ regionibus, in quibus id genus calidæ ablutiones, in multis chronicis ac periodicis morbis, maxime vero in rheumaticis ac arthriticis ægrobis, plane stupendos ac mirabiles effectus produxisse asseruntur, nec non *balnea vaporis* nuncupantur.

Præter balnea, quæ nullo unquam cœncomio satis laudari possunt, etiam in multis casibus necessarium esse putavi, infirmis psora laborantibus unguenta ordinare. Neque tamen opinandum est: me unguenta eo scopo commendare ut iisdem *suppurationis pediculi destruantur*: sed unice et absolute eo fine, ut mediantibus iis, cutis exulcerationes sanarentur. Pori quippe in humano corpore aperti, ac durante scabie relaxati, et læsi per inunctionem hanc refocilantur et consolidantur, simulque aëris pressura, quæ membra exul-

ceratione sauciata, solito plus quatit, unctione illa cohibetur, ac optatam sanitatem accelerat.

Oleosa certe remedia in cutis eruptionibus, sicuti etiam in aliis bene multis infirmitatibus uti herpete, etc., etc. : majora officia præstant, quam linimenta sulphurata et chlorata hucusque usitata.* Unguentum meum quod compositum est : ex Ol. amygd. dulc. una parte, et ex sebi bovin. depurati duabus partibus, quibus odoris gratia adhuc addere soleo aliquantulum : Ol. Bergamutti, aut Lavandulæ paratur, Parisiis et Londini in pluribus pharmacopœis, ea signatura, quotidie vespertina hora sufficiente quantitate inungendum. (In ultima urbe apud Dominum White, Pharmacopœum Serenissimi Ducis, de Cambridge, et 228 Piccadilly.)

* Hac jam idonea curandi methodo : et patientibus sulphuricum odorem detestantibus nausea tolletur : et per alias personas, atque per ipsosmet medicos, multæ inamœnitates vitabuntur.



